

Opraviono v r. 1943.

Mowa Elgota

na Synodzie Bazylejskim

1442.

Reverendissimi Reverendique Patres et Domini, dignitate, statu, ordine, scientiaque praeclarissimi, ex alto tenebrescentem mundum consideranti, quid aliud mente testandum, nisi dolendum occurrit; et eo amplius quo impiorum fremitus et obcaecatio continuo se ostendit, adeo ut nonnisi prohibeat locus, ubi dolore maciare non solet. Si nempe per spiritum ad orientem, unde fons luminis venit, ecce circus occasum minatur. Et ut dicit Beatus Hieronymus ad Damasum Papam (Ep. XV) „Quoniam vetusto Oriens inter se populorum furore collisus, indiscissam Domini tunicam, et desuper textam, minutatim per frusta discerpit." Si vero ad austrum mentis obtutum spargimus, ecce auster gravis et magnus et quis sustinebit illum; si ad aquilonem, et quid inde refrigerii, ubi princeps tenebrarum sedens, se ponere et esse solus altissimus voluit. Demum ad occidentem, videte nebulam, qua tota tingitur et tegitur terra; undiq. pestes, undique hostes, undique pericula, in multis locis strages, in omnibus pene insidiae et multiplicia lamenta.- At collibebit fortassis magis intra nostrates et domesticos contueri, et electum populum invisere; ecce nostra sancta ecclesia catholica, miserabilibus confecta gemitibus, afflicta pressuris, exposita casui et ruinae. Nam filii et fideles ejus, dilectoris obliti, ruptaque fidei sede insurrexerunt. Opus contra morem, ut non modo hostilis, verum etiam quod acerbius pungit occulto, domesticus mucro desaevit.- Clamat ergo precibus, orat lacrimis, fletu pulsat, si forte sit, qui pro ea pugnet; si quis contracta in pugna compassionis veste, ejus velit obtergere lacrimas,

si appareat, qui consoletur eam, ex omnibus caris ejus. —
Sed obsurduit ad hoc potestas saeculi; omnes autem spre-
verunt eam, et qui ipsam defendendi susceperunt offici-
um, facti videntur inimici; per vaticinium Prophetæ Thre-
norum. — Pepigerunt enim foedus cum morte, indixerunt
bellum gratiæ Dei, et caecutientibus oculis eorum, ad ju-
bar veri solis, posuerunt lucem tenebras, et tenebras lu-
cem. — Tu ergo Ierusalem, tu sacro-sancta synode, surge.
illuminare; illuminare, inquam, ut squalida Ierusalem lu-
men recipiat. Ut hominum mentibus, explosa caecitate,
lumen quod in te est, infundas. Tibi enim Dei virtus,
Dei misericordia et sapientia præbuit istam sanctam
veram ecclesiam catholicam, quæ sola, privilegio, errare
nequit; auctoritate, dignitate, sanctitate et integritate pri-
ma. Hancce veraciter repræsentas, et eatenus Illuminare,
illuminare siquidem, et consolare in his concussionibus
et pessimis temporibus, quibus quoties ab initio ortus
tui premebaris, eo amplius perfecisti. Et nec congruit
castis mentibus tuis, in his procellosis turbinibus, supe-
rato quidem dilecto tuo, cum meticulosis discipulis con-
crepare, dicens, „salva nos, perimus;" sicut nec decet
te audire, quod illis dictum est, „quid timidi estis,
modicæ fidei," quia robore tuæ fidei, etiam montes tun-
dere et palpitare vales. Et confidencialiter age, quia non
repulit Dominus plebem suam, et necesse est, ut scan-
dala eveniant et hostes, ut probati manifesti fiant. —
Quamobrem illumina Deus, quos spiritu sancto fe-
cundasti, ac quos in vita tua sanatos, in lucem fidei

edidisti, ne ab unigenito tuo oberrantes, tristem domum aliorum perquirant. Tu enim sola mater rectissima, regem coeli et terræ, dominum Iesum Christum, sponsum tuum, intra te complexum, tuis manibus tenes, innixa super dilectum tuum. Tu sola cum tribus juvenibus, puro thure et myrrha adolendum, cunctis regibus et gentibus exhibere potes. Tu sola es, in cujus duntaxat domo salvator invocari potest; quia stella duce, magos gentiles Dominum verum in carne natum, in Bethleem invenisse audimus, qui

certe sermo die Epiphaniæ dictus.

quærentes hodie, ubi Iesus nasceretur, sacerdotes et scribæ responderunt de prophetico eloquio. Hæc stella indicabat de coelo, et quam angeli pastoribus nuntiarunt, genealogiq; sideris splendore didicerunt. At absonum videtur de peregrinis asserentibus fidem sive veritatem adjuvare; satis sit ergo ad hanc rem, Christum Dominum in Scripturis sanctis scrutari, quique (teste Beati Matthei, hodiernæ lectionis evangelio) intrantibus in domum regibus, se præbuit ~~viden-~~ ~~dum~~ inveniendum, sed in quam, in domum profecto S. Ecclesiæ, in domum tuam Synode sancta, siquidem mysticam et catholicam, doctorum omnium persuasu. Et postea rem hanc contestans verbo, nosq; præmonitos esse volens, docebat dicens, videte ne quis vos seducat, multi enim venient in nomine meo, dicentes, quare ego, nolite post illos ire. „Et si quis vobis dixerit: Ecce hic est Christus, aut illic, nolite credere." Matt. XXIV.
In sola ergo domo tua, Synode sancta, quærendus est Christus, in sola domo tua adorandus est Deus, in sola domo tua credendus est Christi vicarius. „Sicut enim extra te non est unitas nec respectus, ita extra te Chri-

stus, qui intra est, et unitas minime invenitur", sententia es B. Gregorii. Quia, subnectit, in petra Moyses ponitur, ut inde Dei faciem contempletur, quare nisi quis fidei soliditatem tenuerit, divinum puerum non agnoscit. De qua soliditate Dominus dicit: „Super hanc petram ædificabo ecclesiam meam." Sola ergo Synode sancta es tu, per quam Dominus sacrificium accipit libenter, sola quae operantibus multiplicas fiducialiter, unde etiam incruentam hostiam Dominus percipit, Deus in una domo comeditur, nec defertur de carnibus ejus foras; quare in una ecclesia catholica, vera redemptoris hostia immolatur, de cujus carnibus dimidia auferri prohibetur. De qua

non intellexi { etiam dicit B. Pog.: „Puto me non temere dicere, alias esse ita in domo Dei, ut et ipsi eadem sint domus Dei, quæ dicitur ædificari supra firmam petram, quæ amica columba appellatur, quæ sponsa pulcra sine ruga et macula, et ortus conclusus, fons hortorum et puteus aquæ vivae, et paradisus cum pomorum fructibus, quae domus a Christo claves accepit, et potestatem ligandi atque solvendi, quam si quis corripientem contempserit, tanquam ethnicus et publicanus voce veritatis est habendus." — Quod tam adeo veritate subnixum est, ut nec angelo quidem e coelo descendenti, et aliter docenti, credendum foret, — sententia Apostoli. — Curandum magnopere et tota vigilantia connitendum Synode sancta, ut tuo studio, tuo lumine, qui non sapiunt, sapiant; et qui sapiunt non desipiant; et si desipuerint, resipiscant. Perinde da operam, quantum potes, ut increduli convertantur ad fidem,

ad fidem, perturbatores ad rectitudinem, et abusores invisi, rationibus et scripturis præstringantur et emendentur si fieri potest, vel si non, perdant saltem facultatem alios abutendi; quod, dico, exercitans, tuas pro Christo explicuisti partes, et in hunc morem dixi Illuminare Jerusalem, quæ sunt verba themate assumpta. — Et quia lucis nomine, status cleri et prælatorum in Scripturis recte designatur, juxta id, „vos estis lux mundi," Matth. v., ut quemadmodum in magna luce reperitur paritas, unitas, majestas, formositas et plenitudo in sparsa claritate. Est in lumine corpus, quo nihil nobilius, nihil velocius, nihil virtuosius reperitur, prout dicit B. Augustinus in prologo super Genesim. Ita ipsi pastores et prælati, quos Christus verus sol, lux lucis, adinstar lucis in firmamento coeli; sic et in hierarchia ecclesiae militantis luminaria instituit instar lucis, quadruplicis dignitatis prærogativa, ut ecclesiasticam illuminaret hierarchiam. At, in his verbis, quales eos esse velit, hoc Sancta Synode, quæ illuminandis pascendisq. gregibus præposita es, quo brevius eo accuratius condiscamus. Tria enim ipsis magnopere obsignanda in verbis prædictis videntur designari: Primum quidem, ut sint ad hunc effectum specialiter vocati. 2º ut sint exemplaribus majoribus redundantes. Et 3º ut sint præcipue divinis contemplationibus suspensi. — Primum notatur in verbo imperativo Illuminare, in quantum ab imperante emanare consideratur. Sed in eodem verbo illuminare, clauditur,

in quantum ab imperato susceptum explicatur. Tangitur itaque in verbis thematis, imperantis auctoritas, quam invenient qui digne gestiunt expectare, exemplaris puritas, qua duce radiari, et contemplativa suavitas, quam satagunt incitare. Propter hoc ipsum Moyses primus omnium dicebat: Hæc sunt præcepta, quæ mandavit Dominus ut docerem vos Deutor 4c. ~~[illegible]~~ dicitur ore vultis Luceat lux vestra coram hominibus. Sed ponatur ejusdem legislatoris exemplum; quum nunc ascendebat in montem, ut ibi gloriam Domini cum majori cerneret lætitia; nunc vero descendebat in castra, ut cum utilitate de necessitatibus populi provideret. [illegible] de Ieremia nisi ..... v nec putas.—

obscure

Et hæc tam succincte prout tempus expostulat repetendo, primum per hoc absolvitur, quemadmodum intonat vox Apostoli, ut nullus ipse honorem assumat nisi vocatus a Domino, tanquam Aaron. Sicut locus regiminis desiderandus, sibi negandus est, ita fugientibus est offerendus, ut q. in scripturis.- Non sit ea ratione, pastor animarum percurandarum violenter intrusus, non per simoniacas pravitates fraudulenter submissus, non etiam perdominandi cupiditate jactanter impressus; sed per Dei voluntatem positus et vocatus. Talis enim intrat per ostium, huic ostiarius aperit, hunc oves recipientes et noscunt et audiunt vocem ejus. Qualis quidem iste hujus infausti temporis furor, alios occupat, qui Principatus et Dei timo-

re procul pulso, spretis sacrorum canonum poenis et censuris, intrant non per ostium, sed aliunde, cum furibus et latronibus ascendunt. De quibus est illa querela judicis aeterni: „ipsi regnaverunt et non ex me principes extiterunt, et non cognovi." Et iterum: „non mittebam prophetas, et ipsi currebant; non loquebar ad eos, et ipsi prophetabant." Jerem. XXIII. – Quae verba tractans Beatus Aug. dicit: „unde tantus praelatorum ardor, unde tanta vesania praesumptionis humanae, studet neque, terreni... det... per quae verba innotat, magno tales teneri periculo, et eodem cum furibus et latronibus, si non emendaverint, casuros interitu. –

Sed missis nunc aliis, propero ad 2um, ubi dixi, praelatis et pastoribus summopere conandum, ut sint exemplaribus moribus adornati; ut instar lucis, sint veritate perspicui, caritate fecundi et largitate profusi. Lux enim ut habetur Job XXXVIII. simul gerit splendorem, calorem et vigorem. Quo pacto habeat sacerdos splendorem in intellectu, calorem in affectu, et vigorem in effectu, ut sit cum Johanne sancto, lucerna lucens et ardens; lucens in cognitione, ardens in devotione. Et hinc est praeceptum illud Domini: „Sint lumbi vestri praecincti, et lucernae ardentes"; ut scilicet munditia castitatis sit in corpore, et lumen veritatis in operatione. Longum enim iter est per verba, compendiosum et breve per exempla; et vulgo dicitur: plus homines oculis quam auribus credunt. – Hinc etiam venit, secundum B. Hieronymum, quare sacerdotes modo dicuntur sal terrae,

modo lux mundi, vasa aurea, modo argentea; lux propter candorem puritatis et innocentiae; sal propter saporem in tentionis, conscientiae; aurea propter fulgorem rutilanti sapientiae; argentea propter leporem clangentis eloquen tiae.- Sed in re hac Patres et Domini dolendum, imo toto lacrimarum fonte deplangendum omnibus se offe obtutibus, quum multi videntur, qui lucis ac salis, argen simul et auri officia et nomina noscunt obtinere quibus tamen tantae dignitatis merita non respondent.- Et ideo merito nomine dicuntur, lumen obtene bratum Isaiae v., sal infatuatum Matth. v., aurum obscu ratum Trenor. v., argentum reprobatum Jer. v.— Qui lucem quidem et lucis opera profitentur, sed tenebras amant et sectantur, ideo homicidii rei, et mortibus digni, quot et quantis fuere occasio cadendi! Quod depla gens B. Bernardus in sua Apologia dicit: „Quomodo lu mundi obtenebrata est, quomodo sal terrae infatuatum est, quorum enim vita nobis via vitae esse de buit, dum exemplum nobis in suis actibus ostendunt superbiae, caeci facti sunt duces caecorum." Et Dog in suo pastorali: „Si lux est sacerdos, ut praedicationes suae rutilanti eloquio conscientiarum latebras illumine cur ipse palpabilibus tenebris tenetur adstrictus." Et su nectit: „Si salis meruisti possidere saporem, ut insipientium possis carnes condire, cur infatuatus tali aut tali vitio, immundis porcorum te pedibus conculcandum praebuisti. Oculorum etiam officium in ecclesiae corpore voluntarius appetisti, ut reliquum

per te—

per te corpus ducatum lucis haberet, cur igitur quadam lippitudine et vitiorum tetra caligine obumbratus. Nec te ipsum luci idoneum probes, et aliis adimis lucem, et hinc venit ut tenebræ operiant terram et caligo populos." Isaia 21. Et ut hæc notissima firmiter habeantur, familiari clarudantur exemplo sacerdotum levitici generis, a quibus omnes qui maculam habebant corporis, repellebantur. Ex hoc enim facile quisque cognoscere poterit, quanta mentis et corporis puritate pollere debeat sacerdos evangelicus ad sacro-sanctam hostiam immolandam; si sacerdos legalis solo vitio corporis maculatus prohibetur. Emendamini ergo qui fertis vasa Domini! - et hoc de secundo. — . —

Dixi 3º et ultimo prælatis et pastoribus accuratius observandum, ut sint pro semper divinarum contemplationum suspensi. Quid enim in hac vita jucundius, quid divinius, quid salubrius, quam ab his fugacibus et angustis rebus, ad illas stabiles et amplissimas res æternas, mente elevatorum attolli; ubi felices illi spiritus, illæ beatorum omnium animæ, una et magna Deitatis luce claresunt, voluptuose divino illo miro et supersubstantiali nutriuntur cibo. Quid etiam tam magnificum, quid tam optatissimum, sicuti ascendere cum Moyse in montem, et ibi condiscere mysticam theologiam, sicque loqui cum Deo, sine litteris et syllabis, et erudiri secretis mysteriis, otiari ab actibus virium apprehensarum, in desiderio videndi et tenen-

di Deum. - Sed nec decet pastorem, more peccatorum, sensibus incumbere, corporis haerere infimis, intuiare terrena, sed potius erectum stare, mente coelum suspicere, quae sursum sunt, haec et sapere, non quae super terram istam. Ut dicit Hilbertus in prima parte sui erudimenti: „viris perfectis iste prius conatus, haec praecipua cordis eorum destinatio, ut Deo et divinis rebus, quantum fragilitas admittit humana, semper inhaereant". Et in hunc morem dicit Marthae Dominus, quae sollicita fuit erga plurima „unum esse necessarium", significans per id, quod summum bonum non sit in activa vita, sed tempus est fructiferius, et multa laude et praemio digna, mens in contemplatione. Et ideo adjunxit: „optimam partem elegit Maria", non activam vituperando, sed contemplativam potiorem pronuntiando; concludens: „Quae non auferetur ab eâ", quia in illa coelesti et beata vita non est cessura gaudere. Quemadmodum jaculatores ex bellica tela regentes, signum faciunt, quod telis jaciendis ferire contendunt, et quanto plus a signo deviant, se magis errare cognoscunt; pari habitudine et nos in omnibus actionibus nostris agere studeamus, jugi studio contemplantes, et rectam directionis lineam in omnibus tentantes. - Agentesq. excellentiam festivitatis hodiernae, agnoscendum in Magis adoratoribus Christi, vocationis nostrae, fideique primitias; et exultantibus animis, beatae spei initia gratulabundi celebremus. - Exinde enim

in aeternam hereditatem coepimus introire, quia veritas, quam Judaeorum obcaecatio non recepit, omnibus nationibus lumen suum invexit. – Honoretur itaque a nobis sacratissimus dies, in quo salutis nostrae auctor apparuit; et quem Magi infantem venerati sunt in cunabulis. Nos omnes potentatorem adoremus in coelis, et siculi illi, de thesauris suis, mysticas Domino munerum species obtulerunt; ita et nos, de cordibus nostris, quae Deo sunt digna, promamus, ut, si dona ipsius non irrita fatendum per ea quae dedit, mereamur accipere quae promisit. – Connitamur ab ipso illustrati, ut lucis filii, hic ambulare, quo tandem ad verae lucis vitam possimus pervenire, pro eodem largiente, qui vivit et regnat.

Amen.

Sermo per D. Jo. de Elgoth dictus, coram Sacrosancta Synodo Basil. 1442. Nic. de Dzialochovio ipsum portavit et descripsit.

